



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1655**

§. 244. Inter quas erat Maria Magdalena, & Maria Iacobi & Salome, &  
Ioseph Mater, & Mater filiorum Zebedæj. v. 57.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45515**

mulieres quæ steterunt in monte Caluariæ licet à longe, & hanc tragediam viderunt & audierunt, & quæ in vita Christum Iesum secutæ fuerant, vt audirent verbum eius & miracula viderent, modo etiam vt & finem vite eius viderent, an verba vltima vite eius conuenirent: optima tes, quod in vita fideles Magistro, etiam in morte fideles perstitissis. stantes autem erant à longe, ob multitudinem armatorum, & confluentium virorum, ideo proprius accedere non commode poterant & præ verecundia & honestate muliebri melius à longe stabant, quam sese ingerebant, ut & ego verecundiam meæ personæ conuenientem semper retinere addiscam.

**D**omine etiam si non fuerim corpore præsens cum hisce mulieribus in monte Caluariæ ad videnda mirabilia hæc & miranda: at tamen etiam atque etiam rogo te piè Iesu maneant illa scripta in corde meo, vt ea mediter nocte atque die, & sic à longe non distantia affectus, sed solius temporis & loci, disunctus intervallo contempler tuam S. Passionem, maxime in Missæ sacrificio.

§. 243. *Ministrantes ei. v. 55.*

Non de vulgo fuere istæ mulieres, quæ de longè aspexerunt Domini exitum, sed eximie piæ & deuotæ, non solum aliqua pietate durante ad horam, sed assidua, & operibus, maxime liberalitatis, contestata. utpote quæ Christo in vita vsque ad mortè Crucis, ministrauerant, & omnè humanitatem. istæ cum B. V. Maria sunt Fundatrices status cælibis, status Virginialis, ac vidualis in Ecclesia Catholica celeberrimi, cuius professas, olim Diaconissas appellarunt, eo quod Sacerdotibus & Episcopis ad paramenta sacerorum texenda, lauandaque, item ad instructionem mulierum ac puellarum subseruirent.

**D**omine, doceor hic multa à tuo S. Euangelista. 1. benefacta aliorum describere & prædicare, peccata celare. 2. Triumphum gratiæ tuæ, quæ in sexu fragili cessantibus viris sese exerebat. 3. Ecclesiam Catholicam Romanam, vere esse eam quam tu fundasti verbo & exemplo. In hac enim sola viget professio Diaconissarum Virginum, & Viduarum ministrantium religioni, nuptias negligentium. Gratias tibi ago pro tuis doctrinis, da vt istæ perseuerent semper & opere compleantur assidue in tua Ecclesia.

§. 244. *Inter quas erat Maria Magdalena, & Maria Iacobi & Salome, & Iosiph Mater, & Mater filiorum Zebedai. v. 57.*

Vt posteritati constaret, quænam potissimum fuissent istæ piæ, fortes & deuotæ mulieres, quæ Christum & in vita & in morte secutæ ministrave-  
eas,



rant, & statum sanctum calibatus inchoaverunt, inter alias istæ quinque speciatim nominantur, quarum major pars viduæ videntur fuisse, eæque notæ & probatæ vitæ, ut iuxta Apostoli Pauli doctrinam, ad statum Diaconissatum non nisi provectæ ætatis mulieres, quo ad prudentia dictat, eæque inculpatæ vitæ, admittantur. Etsi enim Maria Magdalena inter eas nota omnim non caruit, eam tamen heroice in domo Simonis & alias expunxit.

**V**tinam bone Jesu, nunquam Sacerdotes errent in delectu feminarum quas vel ad solitariam in claustro vitam, cum Maria, vel activam cum Martha admittent: utinam prudenter agant, cum iisdem & procedant in timore Dei, non sui commodi temporalis intuitu, ne vituperetur ministerium Dei, sed adjutorio earum honorificetur Ecclesia Christi, & ædificetur.

§. 245. *Cum autem sero esset venit quidam homo dives nomine Ioseph ab Arimathia quia & ipse discipulus erat Iesu. v. 57.*

Paulatim incipit se prodere efficacia mortis Christi, ecce enim Centurio, ecce milites confitentur, mulieres perseverant, accedit ad hos homo Dives, nobilis & Centurio, nuper timidus ad confitendum Christum, nunc audax & fortis: accedit ad Pilatum audacter pro mortuo, qui antea ne quidem domum Pilati invisere audebat pro vivo, & modo intrat, alloquitur Præsidem, petit corpus Iesu, insinuans aperte se esse amicum Iesu Christi, & eius discipulum, magni se facere, quem ille crucifixit &c.

**D**omine Iesu ista mutatio est de manu tua, non venit ex horto cordis humani talis flos, sed zizania. Veni ergo Domine Iesu, veni & operare etiam in nobis tam potenter ad suam gloriam, nostram salutem. Si negleximus mane venire ad te & cito, saltem serò advenire non pigeat. Tu Domine nos sero revertentes suscipe, & fac nobiscum signum in bono, ut videant qui oderunt nos & confundantur.

§. 246. *Hic accessit ad Pilatum.*

Accessit sane plenus fide & spe in Deo, quod sit futurus voti compos accessit & instinctu & motu Dei, ut peteret corpus Iesu, ne maneret in tanto Paschatis festo in patibulo crucis in ignominiam & ludibrium, sed finito cursu redemptionis assequeretur promeritam gloriam. Libere accessit, quia vir erat in dignitate constitutus, dives & magnæ authoritatis, Senatorii ordinis & inter Principes: & forte à D. Virgine Maria Matre Iesu rogatus vel à Ioanne Apostolo, vel aliis Christi discipulis fuerit sollicitatus, ut pro dignitate sua, & reverentia Corporis Christi accederet ad Pilatum, & peteret corpus Crucifixum Iesu: facilius enim ipse poterat obtinere uti

X 3

Principis